Dissertationem medicam inauguralem de aphonia / ... submittit Christianus Bilhoch.

Contributors

Bilhoch, Christian.
Crause, Rudolf Wilhelm, 1642-1718.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Krebsianis, [1702]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cheykv9k

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Summo adstite Numine.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE JVVENTVTIS, AC DVCATVS ISENACENSIS HEREDE,

DN. GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, JVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET GVESTVALIÆ, &c.

Consentiente Illustri, Gratiosoque Medicorum Collegio

in Inclyta ad Salam Academia.

SVB PRÆSIDIO

RVDOLPHI WILHELMI CRAVSII,

HEREDITARII in Meßingen/

PHIL. ET MED. DOCT. PRACT. ET CHIM. PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT. MED. SENIORIS SPECTABILIS, & ACADEM. N.C. COLLEGÆ,

Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui æviternum venerandi,

HANC

DISSERTATIONEM MEDICAM INAVGVRALEM

DE

APHONIA,

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores, Privilegia & Insignia, DOCTORALIA solenniter ac legitimè consequendi,

Publico Philiatorum Examini submittit

CHRISTIANVS BILHOCH, Magdeburgensis Saxo, Practicus Regiomontanus.

In Auditorio Majori

horis ante & pomeridianis

Ad diem Septembr. Anno M D CCII.

JENÆ, Literis KREBSIANIS.

Σὺν τῷ θεῷ.

PROOEMIVM.

SI quæ, post divinæ legis transgressionem, hominem oppressit calamitas, si quis violatum illud fœdus excepit morbus, vindex, sanè APHONIA est; atrox ille, dirus & stupendus affectus, qui haud rarò derepentè hominibus obrepit, & plerumque gravissimorum aliorum morborum, v. g. cari, apoplexiæ, item epilepsiæ vel prodromus est, vel comes, vel successor; interdum ad aliquos vel dies, vel menses, vid. *Nicol. Tulp. obs. 4.* aut annos, quandoque etiam ad mortem usque contumacissimè permanens; interdum verò aliquandiu intermittens, & de subito repetens.

Sicuti autem, DEO propitio adjuvante, haut paucos hujusmodi affectu laborantes in Praxi mea adhuc feliciter curare obtigit, ita, jussus à Gratiosa Facultate Medicâ SPECIMEN aliquod INAVGVRALE sistere, in APHONIÆ naturam & curam, pro brevissimo mihi ad hæc, & ad hîc subsistendum concesso tempore, inquirere ratum duxi.

DEVS cæptis clementer annuat! Tu verò, benevole Lector, omnia æqui bonique consule.

CAPVT I.

Definitionem nominalem & realem tradit.

APHONIÆ vox Græcorum agnoscens incunabula, prognata est ex φωνὴ vox, & α privativo; unde vi nominis *aphonia* idem est ac *privatio vocis.*

Quanquam verò tàm *Græcum nomen* φωνὴ, (sic secundum aliquos dictum, quod sit φῶς τοῦ νοῦ, lumen mentis, ideò, quod, ut *Galenus l. 16. de usu part c. 3.* ait, conceptuum, sive cogitationum mentis nuncia sit, easque ita revelet, quemadmodum lumen revelare solet ea, quæ in tenebris delituerant;) quàm *ipsa dictio vocis* partim in *Sacro Codice*, partim etiam apud *Dialecticos*, *Oratores*, *Poetas*, *Grammaticos* & *Physicos* varia sortiatur significata, in quibus recensendis tempore parcemus; *Medici* tamen, quia de *solo homine*, eoque vel sano conservando, vel ægro in pristinum sanitatis statum integrum, quantumpossibile est, restituendo, agunt, solam *hominis vocem articulatam*, sive *sermonem* plerumque hîc solent intelligere. Hinc *Christianus Langius in animadversionibus ad Petri Fabri pathol. animat. cap. 14. pag. 156.* dicit: cum sermo plane deficit, & loquela penitus amissa est, ἀφωνία dicitur, & κώφωσις mutitas.

Synonyma invenimus varia; *Latinis* vocatur *mutitas*, obmutescentia, it. *vocis*, *sermonis* aut *loquelæ interceptio*, *amissio*, *defectus*, nonnullis *linguæ ligatio* & *paralysis*. *Græci* vocant ἀλαλίαν. *Paulus Zachias quæst. med. legal. lib. 2. tit. 3. quæst. 8. p. 502.* ἀναυδίαν & ἀφωνίαν vocat, cum hâc tamen distinctione, quod ἀναυδία sit, in quâ *solus sermo*, ἀφωνία

verò

verò, in qua *etiam ipsa vox omni ex parte* perit. Imò ipse *Hippocrates* ἀναυδίαν & ἀφωνίαν aliquando diversam censet. Sic enim in Thasio Pythione dicit, ἀναυδος ἄφωνος, non loquebatur & sine voce erat, de quo legi meretur *Jacob Hollerius comment. in lib. coac. Hippocr. p. 2.* *Germani* dicunt, **die Sprachlosigkeit: Die Sprache ist ihm entfallen: Er ist stumm; Hat die Sprach verlohren; Kan nicht reden.**

Quoad *Homonymiam*, videmus quidem *carum* & *apoplexiam* à *Sennerto*, ab aliis etiam *coma* aphoniam vocari, cum in dictis affectibus sermo intercipiatur; usitate tamen *Aphonia* medicis sumitur pro *interceptione sermonis*, quæ etiam *extra dictos affectus*, varias ob causas contingere potest. Quemadmodum etiam *Hippocratem* nomen ἀφωνίας haut rarò in hoc significatu sumsisse cuilibet, ipsius scripta accuratiùs perpendenti, patet.

Describimus igitur APHONIAM, quod sit omnimoda sermonis, sive vocis articulatæ interceptio, & quidem vel temporaria, vel perpetua, à vitio linguæ & instrumentorum menti ad sermonem, & vocem articulatam formandam inservientium, orta.

CAPUT II

De Subjecto Aphoniæ.

DIscrepantes invenimus Autores circa *vocis organa* statuenda, & *Aphoniæ subjectum* determinandum. Alii solam linguam, alii glottidem, alii fistulam cum glottide, alii cristas vel eminentias arytænoidum, alii aliud organum hîc primariò læsum volunt; Nos cum brevitatis studeamus, prolixitatem evitaturi, *distinguimus inter vocem hominis simpliciter, in se*, & indeterminate spectatam, & inter illam, quæ *ad aliquem mentis conceptum* ex-

primendum articulando formatur, atque ideo *vox articulata*; item *sermo*, aut *loquela* dicitur.

Sicuti nempe hæc inter se differunt, ita aliud quoque est *læsio vocis simpliciter, & in se* spectatæ, ac *indeterminatæ*, sive *soni*, aliud verò *læsio vocis articulatæ*, sive *soni aliquid determinantis*, hoc est, *sermonis ac loquelæ*; Non enim sermonis defectus aut cessatio statim vocis quoque & soni ablationem, seu privationem secum importat: Id quod vel ex sola illa historia de Rege quodam, qui triginta infantes in locum solitarium inclusit, ut resciret, quânam lingua, si adoleverint, sint usuri, patet, de quâ legi potest *Sennert. Instit. Med. l. 2. part. 3. sect. 2. c. 3. p. 514.* Ad *vocem* multa, *ad sermonem* verò, sive *vocem articulatam*, præter *isti*, etiam alia plura *huic* specialiter inservientia requiruntur organa; quamdiu aer ex pulmonibus per asperæ arteriæ fistulam elisus, *intra* laryngis & faucium cancellos læditur, *Vox* tantum lædi dicitur, ubi verò ad lingvam, dentes & palatum egressa vox, tunc in literas, syllabas & verba, conceptum mentis exprimenia, (qui sonus propriè sermo, seu loquela vocatur,) *non articulatur*, tunc *sermo* læsus dicitur.

Cum igitur *Lingua* inter sermonis, seu locutionis organa *ad vocem articulandam*, extra omnem controversiam, *principatum* obtineat, dum naturaliter, quo ad omnia constituta, mobilissimâ suâ agilitate, & volubilitate velocissimâ aerem soniferum vibrando figurat, flectit, frangit, allidit, refringit, extrudit, & variè dirigit, ut vocis & soni differentias, literas, syllabas, & vocabula concinnè formet, proferat, sicque conceptus mentis decenter exprimat, ideò *ipsam* in Aphonia, seu defectu sermonis *primarium subjectum læsum* esse censemus.

MINVS Principale APHONIÆ, ad *vocem* tamen sive *aerem sonorum*, (utpote ex cujus articulatione demum, tanquam ex materiali quodam sermo formatur, & enascitur, & sine qua locutio fieri nequit,) *subjectum* necessarium sunt reliqua, tùm ad respirationem & vocem edendam,

dam, tùm linguæ in articulatione vocis, inservientia organa, à *quarum variante dispositione*, differentiæ quoque *sonoræ*, vel *minus sonoræ vocis* & *sermonis* dependent.

In enumerandis illis utramque paginam explere possemus facilè, sed, cum tempus nos de brevitate moneat, nominare saltim sufficiat dentes, labia, fauces, uvulam, glottidem, musculos, nervos, imprimis recurrentes, aliis vocales dictos, item pulmones & asperam arteriam, de cæteris huc spectantibus evolvi possunt libri Anatomicorum, quorum elegantissimorum hodie farraginem spectare licet; In compendio quasi de potissimis exquisitè agit Excellentissimus *D. WEDELIVS*, Medicus famigeratissimus, Dominus, Fautor, Præceptor & Patronus meus, nunquam sine honoris præfamine nominandus, in *Physiol. Medic. p. 320.*

CAPVT III.

De

Causis.

Causa cognitio in curatione oppidò necessaria est; Nisi enim sublata penitus fuerit, morbus tolli perfectè non potest, sed, aut resistit, & perseverat pertinacissime, aut, licet interdum cessasse simulet, delitescit tamen saltim, ut angvis sub herba, emersurus, cum occasionem iterum acceperit, unde *recidivæ* haut raræ sunt.

Causa Aphoniæ *Immediata* quærenda est in *linguæ constitutione morbosa.* Cum enim sermo sit *actio mentis*, conceptus suos exprimentis; *Mens* autem, quamdiu corpori immersa est, *organis opus* habeat, &, nisi hæc apta, debitè formata, ac disposita fuerint, aut planè nihil, aut nihil rectè agere possit; ipsius verò ad *actionem locutionis dicatum* & aptissimum *instrumentum* sit *lingua*, quâ bene, quoad omnia requisita,

ſita, tàm ratione temperiei, quam conformationis, aliorumque neceſſariorum conſtitutâ, recte operari, & actionem loquendi exercere poteſt, minus autem naturaliter conſtitutâ, *ſermo* vel *imminuitur* vel *depravatur*, vel *aboletur*; Hinc apparet, ſicuti ſubjectum in aphonia primario læſum lingua eſt; ita *conſtitutionem* ipſius *præternaturalem* cauſam aphoniæ *immediatam* eſſe.

Quemadmodum verò lingva, dum aërem ſonorum, ſeu vocem in literas, ſyllabas, & verba, conceptum mentis debite exprimentia flectit & articulat, *motu* mire agili, imò velociſſimo id peragit, eoque opus habet, ut vibrando, flectendo, frangendoque *aërem*, eumque ad dentes & fauces agiliter allidendo, præterea ut variè *ſe* & *annexas alias*, ad vocem edendam ſpectantes *partes*, inprimis glottidem cum rimula diverſimode contrahendo, conſtringendo, aut dilatando ſonum rectè, &, pro ut ad quamlibet ſyllabam formandam requiritur, dirigat; ad hæc autem *aliis* quoque *neceſſariis adjutoriis* partibus & organis opus habet; ita nunc meritò inquirendum eſt, *in quo conſtitutio naturalis linguæ loquentis* conſiſtat, ut, ſicut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt; ita quoque, ubi conſtitutio linguæ præternaturalis in aphonia quærenda ſit, magis pateat.

Nimirum ut lingva, tanquam *inſtrumentum mentis*, ad ſermonem ſeu vocem articulatam producendam benè conſtituta ſit, requiritur potiſſimum (1.) ut ipſa benè & debitè conformata ſit, tùm à nativitate, tùm poſt eam; Si enim vel nimis brevis, vel longior, vel ſpiſſior, aut aliàs malè figurata fuerit, de quibus legi poſſunt Sennertus, Schenckius, Claudinus, Platerus & alii; vel etiam planè, aut ſaltim ex parte, magnâ tamen, deficiat, cujus exemplum vide apud Paræum, aut amputata ſit ex ſupplicio, vel caſu alio, v. gr. in convulſionibus epilepticis dentibus præmorſa, ſermo manifeſtè læditur & impeditur, (2.) ut muſculorum linguæ, laryngis, glottidis, item faucium, aliorumque, partim ad *reſpirandum*, partim ad *vocem*

eden-

edendam, articulandam, & in verba, ac sermonem formandum *organorum* conformatio bona adsit. (3.) Requiritur *aër*, fibras debitè vigorans, vocique materiale suum necessarium debitè suggerens. (4.) *viæ*, per quas *aër, sanguis, saliva* & *spiritus* ad partes voci, & imprimis sermoni inservientes affluere debent, sint liberæ, sufficienter patulæ, & in debito suo tono constitutæ, ne transfluentibus transitus vel denegetur, vel intercipiatur, aut vitietur (5) *sanguinis* & *salivæ* naturaliter & legitime se habentis adsit sufficiens, nec nimius, nec deficiens affluxus, (6) *Spiritus*, mentis proximum organum, sufficienter adsint. (6) *Mens*q; sit libera, & sibi relicta, non abalienata.

Ex hisce nunc colligere licet, partim in quibus *præternaturalis linguæ constitutio*, unde aphonia oriri potest, consistat, partim unde *causæ*, constitutionem naturalem invertentes, & præternaturalem inducentes, tanquam aphoniæ *causæ mediatæ*, (quarum aliæ *proximiores*, aliæ *remotiores* sunt,) originem suam sumere queant.

Nimirum ante omnia respiciendum est ad ipsam *linguam*, an ibi aliquid præternaturale deprehendatur, hinc examinandæ quoque & inspiciendæ sunt quæ ad ipsius *motum*, item *ad respirationem* faciunt partes, an nempe ob spasmum, (siquidem aphonia motus convulsivos plerumque comitatur, teste *Hipp.* qui etiam Aphonias cum singultu pessimas pronunciat;) aut Paralysin, inflammationem, tumorem, vulnus, aut simile quid aphonia obtingat. Nam organis ad respirationem necessariis vario morborum genere afflictis, & obsessis, vox necessariò læditur, quia aër, tanquam materiale vocis, tunc vel deficit, vel in sonum articulatum & sermonem aut plane non, aut minus recte formari potest. Sic de aphonia ex faucium inflammatione orta, memoratu dignum refert exemplum *Bonetus Sepulch. l. 1. sect. 22. obs. 6. p. 370.* inveniuntur quoque apud autores variæ observationes, & observavimus nos ipsi, ubi pectoris cavitatem sanguinis, aut alius humoris, etiam puris copia imple-

vit, ut neque pulmones sufficienter expandi, neque se complicare recte possint, diaphragma quoque se liberè movere nequeat, sermonis prolationem valdè lædi. Vbi pulmones ipsi sanguine repleti, aut planè corrosi, aut corrupti sunt, loquela adeò læditur, ut etiam aliqui phthisicorum vix verbulum ante obitum proferre posse visi fuerint.

Non minus *aspera arteria*, unà cum *larynge*, ipsiusque *musculis* & *cartilaginibus*, *glottide* ac *epiglottide* inspici debent, & explorari, an hæ partes præternaturaliter constrictæ, vel obstructæ, vulneratæ, aut alio modo præternaturaliter affectæ sint. Sic nota sunt exempla eorum, qui ob nucleorum, uvarum, muscarum, micæ panis, spinarum, potus, variorumque eduliorum illapsum in asperam arteriam, ne vocem quidem, multo minus verbulum proferre potuerunt. Bolus major deglutiendus, ubi in æsophagi medio subsistit, asperamque arteriam comprimit, quia aëri transitum præcludit, vocem & sermonem intercipit: Exempla vide apud *Forestum l. 15. observ. 28.* idem autor *observ. 30.* observavit, suffocationis periculum in puero, ex errore aquam fortem hauriente, quæ ipsi fauces ita constrinxerat, ut respiratio, vox & sermo defecerint.

Respiciendum quoque est ad *Salivam*, cujus *humido* Lingua opus habet ad debitè se & agiliter movendum, quam ob causam etiam tot glandulis, tanquam fontibus illa undique circumdata est, ex quibus per certos & copiosos rivulos saliva perpetuò adfluere potest & debet. *Ariditas* enim faucium & linguæ sermonem valdè impedit, exemplo febribus acutis, & anginâ laborantium. Fiunt enim tunc fibræ linguæ rigidæ, ad motum, atque sic ad vocem articulandam ineptæ. Si lingua nimium exsiccetur, & induretur, atque tunc sufficienter volutari nequit, defectus loquelæ oritur, ait *Platerus. Prax. med. tom. 1. l. 2. c. 4. p. 358.*

In quantum *nimius Salivæ affluxus* loquelam impediat testantur inter alios Mercuriali salivatione utentes, quamvis tunc etiam alia simul impedimenta lingua inveniat.

Præ

Præ reliquis respiciendum est ad NERVOS, imprimis *recurrentes*, & *Spiritus*, an nempe *illi* vel discissi, vel compressi, contorti, aut obstructi fuerint, & inde horum, nempe spirituum motricium influxus impediatur, ac denegetur. Hôc enim facto motus linguæ ad sermonem maximè necessarius deficit. A dissectis nervis recurrentibus aphoniam oriri posse, observavit suo tempore *Galenus l. de loc. affect.* & *Amatus Lusitanus lib. 3. c. 2.* Amittunt quoque canes vocem, si dicti nervi vel dissecti, vel ligati fuerint.

Ex lapsu ab alto & diffracto cranio, aut luxatione cervicis vertebrarum aphoniam ortam varia testantur exempla, & nos quoque id observavimus, *Hippocrates s. 7. aphoris. 58.* item de *Morb. sect. 1. aph. 58.* dicit. Quibus aliqua ex parte cerebrum fuerit vehementer concussum, ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι. De juvene muto, qui per 7. dies ex vulnere capitis, cum ex alto decidisset, neque resolutionem, neque convulsionem habuit, sed surdus mansit, & decimâ quartâ die vocem & auditum recuperavit, legi potest *Panorolus obs. med. pentecost. 2. obs. 30. p. 96. idem* autor recenset *ibidem* ex *Valeriolæ l. 5. obs. 9.* quod quidem sutor Avenione in capite gravi vulnere percussus, resolutione simul & convulsione post septimam diem correptus, & sine voce mutus totos dies septem manserit: Sic fuste crassiori in caput percussum, & alium, cui tegula ex tecto decidens caput valdè læserat, per magnum temporis spatium obmutuisse vidimus.

Si *spiritus animales* vel deficiunt, vel turbantur, aut aliorsum distrahuntur, ita, ut recto & consueto naturali tramite nervos recurrentes influere non possint, obmutescentia frequenter oritur. Sunt nempe spiritus ipsa mentis quasi manus, quâ organa, quæ aliàs merè passivè se habent, in actionibus exercendis reguntur & diriguntur; Igitur, quando in lingua deficiunt, ipsa planè invalida est, etiam ad verbulum proferendum. Sic in paralysi & semiparalysi loquela deficit, hujusque defectus haut rarò apoplexiæ prodromus est.

Obſervamus quoque in pavore & terrore nimio obmuteſcentiam, quamvis non ſemper diu duret. Foreſtus *l. 10. obſ. 70. p. 413.* affirmat ſe multos conſpexiſſe tàm viros, quàm mulieres ex irâ vehementiori & animi percuſſione in aphoniam, epilepſiam & apoplexiam incidentes. Curavi hominem, qui ob ſpectrum in monaſterio devaſtato viſum, terrore perculſus aphonus factus erat, & Hamburgi virginem, quæ ob exortum incendium repentinum nimiùm perterrefacta omnimodam vocis & loquelæ ſubpreſſionem patiebatur. Et jam Regiomonti mulier quædam à marito ſuo in noſocomium detruſa, quæ, ut fertur, ex veneficio muta facta eſt, meum auxilium flagranter expectat.

Mentem abalienatam, inque variis imaginationibus occupatam aliquando obmuteſcentiam inducere, ſuo exemplo docent Melancholici, qui ſæpè obſtinatiſſime obmuteſcunt.

Sicuti porro ſanguinis ſoboles ſunt ſerum, lympha, ſaliva & ſpiritus; ita in Maſſæ ſanguineæ læsâ conſtitutione ſæpè fundata eſt aphonia, ſi ſcil vel quantitate, vel qualitate aut motu peccet. Etenim ſi v. g. fauces in angina ob infarctum humorum nimis tument, aut etiam venæ ſanguine turgent & refertæ ſunt, reſpiratio, vox & ſermo lædi debent. Humores craſſi, pituitoſi ad motum inepti, & ad φάσιν proni, it. ſalſi, acres, corroſivi, ſimilisque ſortis, ſtagnationes, inflammationes, corroſiones, tumores, variaque alia aphoniam cauſantia generant. Humorem atrabilarium intercipientem venas, vocalibus inſtrumenris dicatas, parere obmuteſcentiam, ab apoplexiâ ſejunctam, ait Jul. Mylius arcan. oper. naturæ *l. 2. ſect. 10. p. 306.* Motum ſanguinis læſum aphoniæ cauſam eſt indicat etiam Hippocr. de vict. acut. text. 37. dicens: ut aliquis derepente voce privatus fiat, venarum interceptiones faciunt.

Ulterius, quemadmodum aër & alimenta in maſſæ ſangvine & ſpirituum bonâ temperie conſervandâ multum proſunt, quia aër partim magnam molem corporeita-

tis

tis ſpirituum conſtituit, partim ſine eo nulla fermentatio & circulatio fieri poteſt ; Ex alimentis quoque tùm ſanguis, tùm ſpiritus ortum ducunt, quam ob rem dici ſolet: qualis cibus, talis chylus, qualis chylus, talis ſangvis, qualis ſangvis, talis ſpiritus, qualis ſangvis & ſpiritus, tale temperamentum, talisque ſanitas; ita manifeſtum eſt, aërem & alimenta in aphoniæ productione valdè eſſe efficacia. Hinc ſi aër nimis gelidus, aut fervidus fuerit, aut pluvioſus, nebuloſus ad catarrhos diſponens, aut extraneis qualitatibus, vaporibus, exhalationibus v. g. ſulphureis, narcoticis aut venenatis inquinatus, facilè, ſicut apoplexiam, epilepſiam, affectus uterinos & ſuffocationem, ita & aphoniam inducere poteſt. De noxis fumi carbonum tàm ligneorum, quàm foſſilium bituminoſorum, it. exhalationum calcis vivæ, ℞ri vivi & ſublimati paſſim apud auctores obſervationes inveniuntur.

Conſtare etiam ex hactenus dictis poteſt, quid de reliquis ex ſenario rerum non naturalium, ſi abuſus in exceſſu vel defectu contingit, in producendâ aphoniâ ſperandum ſit. Sicuti quoque noti, & tenus hâc à nobis ſæpius nominati ſunt morbi, quos aphonia non ſolum præcedit, ſed etiam comitatur & ſequitur.

Inter res ſupra naturales DEI juſtum judicium primariò nominamus, qui interdum perjuria aphonia punivit. *Camerarius oper. ſubciſiv. cent. 1.* refert exemplum muti cujusdam ex matre pejerante, & hanc pœnam ſibi, cum gravida eſſet, imprecante, nati. Notum etiam eſt ex actis Apoſtolorum *cap. 5.* cur Ananias cum uxore perierint. Quod Dæmon, & qui ipſi ad manus præſto ſunt aphoniam per faſcinum inferre poſſint experientia tàm aliena quàm propria teſtatur.

CAPVT IV.

De Differentiis.

RAtione generis aiia fit per idiopathiam, alia per ſympathiam ex hypochondriis, utero &c. alia cum, alia ſine vocis amiſſione.

Ratione temporis alia eſt recens, alia inveterata, alia â nativitate, alia accidit in ætate puerili, juvenili, it. virili, aut ſenili, atque durat vel ad horas, vel ad dies, aut menſes aliquot, alia ad multos annos, it. ad mortem usque, alia periodica eſt.

Ratione *cauſarum*, alia fit à linguæ, alia ab illi in loquendo, alia à voci inſervientium partium pravâ conſtitutione, aliâ â nervorum aut muſculorum læſione, alia à ſpirituum defectu, alia ex cæteris ſupra dictis cauſis.

Ratione *adjunctorum*, alia eſt ſolitaria, & extra alios morbos contingit, alia verò vel præcedit, vel comitarur, vel ſequitur morbos, v. g. apoplexiam, coma, catochencarum, lethargum, epilepſiam, aliosque motus ſpaſmodicos, it. paſſionem hyſtericam, ſyncopen, catarrhum ſuffocativum, colicam, vermes in inteſtinis &c.

Datur etiam aphonia *ſimulata* & *affectata*, quidpe ſe haut rarò mutos ſimulant impii quidam illorum, qui oſtiatim ſtipem quærunt. Vid. *Sylvaticus in de morbum ſimulantibus.*

CAPVT V.

De Signis.

DE Signis *Diagnoſticis* aphoniæ non opus eſt prolixè agere, modò ea non ſit affectata, ſiquidem ea, vel ex autopſiâ, vel ex relatione adſtantium ſatis patent,

Immi-

Imminentem plerumque præcedit animi & corporis insvetus langvor, capitis & lingvæ gravitas, cephalalgia, vertigo, insolens sensuum omnium mentisque conturbatio, artuum lassitudo & gravitas, lingvæ motus difficilis &c. Vid *Hippocr. de victu acutorum text. 37. p. 299.*

Inquirendum potius est *in causas* aphoniæ, quæ in capite de causis ex parte adductæ sunt, an eæ adsint, aut etiam aliæ, quæ apud autores inveniuntur. Sermonis privatio cum sola adfuerit, illæsâ voce, causa quærenda est primariò in instrumentis isti inservientibus; Si verò vox simul deest, ad vocem quoque spectantia organa patiuntur. Si dolor vehemens capitis adfuerit, aut motus & sensus læsi sunt, in cerebro & nervoso genere causa investiganda est.

Prognostica signa varia apud autores leguntur. Qui à nativitate muti sunt, quandoque, rarò tamen curantur. Quibus nervi recurrentes dissecti sunt, quia vox perit, loquela etiam aufertur, nec restitui posse existimantur Ex cranii læsione orta aphonia sæpe feliciter curata fuit. Recens facta non adeò, cæteris paribus, curatu difficilis, siquidem, auxiliante DEO, aliquos feliciter restitui. Inveterata difficulter curatur, eamque ad Lunæ motum incrementa sumere & ingravescere observavi. Idiopathica ex mente *Hippocrat. Coac. Prædict. c. 77.* diuturnis morbis annumerari potest. Idem *Hippocrates* mutitates in febre acuta cum exsolutione non sudanti quidem lethales, exsudanti autem minus lethales, sed diuturnitatem significare dicit, ast *Petrus Franciscus Phrygius commentar. in histor. epidemic. Hippocr. part. 3. ægroto 3. p. 407.* monet, sciendum esse hoc symptoma esse lethale cum sudore, & sine sudore, id est, ἀφωνίαν cum exsolutione quia omnes affectiones in summo virium langvore morte finiuntur. Qui ex rigore perfrigescunt, caput collumque dolent, muti fiunt, leviter exsudant, ii edito Spiritu singultuoso moriuntur, ait *Hippocr. Coac. prædict. 1.*

Observatum quoque est, si pravi humores aphoniam causantes per μετάστασιν aliorsum translati fuerunt, v. g. in

cutis

cutis ſcabiem lepræ haut abſimilem, eam curatam fuiſſe. Aphonia reſolutionem & diſſipationem ſpirituum ſequens, in morbis peſſimum, mortisque ſignum eſt.

CAPVT VI.

De Curatione.

COgnitâ aphoniæ natura, ſubjecto & cauſis, ad ipſius *Curationem* gradum acceleramus, quæ, ut ubique, ita etiam hîc ſecundum legitimam *medendi methodum*, hoc eſt, ſecundum certas *indicationes* inſtituenda eſt: Nimirum *Curatoriam*, *præſervatoriam*, *vitalem* & *ſymptomaticam*.

In *curatoria* inquirenda eſt cauſa continens & immediata, ut hâc ſublatâ morbus tollatur, & ne redeat, præcaveatur. In *præſervatoria* cauſarum non tantum antecedentium habenda eſt ratio, ſed ne occaſionales quoq; admittantur, ut disponant, aut antecedentem diſpoſitionem, ut in morbum erumpat, excitent, præcavendum eſt. *In vitali* vires præſentes conſervandæ, ſubpreſſæ liberandæ, & erigendæ, deficientes reſtaurandæ & augendæ, & ubique ut conſerventur omni modo proſpiciendum eſt. Si quoque *ſymptomata urgentia* adcedant, eorum etiam ratio habenda eſt.

Indicata, ſive *materiæ auxiliorum* & *remediorum* deſumuntur ex *triplici* ſic dicto *fonte*, *Chirurgico*, *Pharmaceutico* & *Diætetico*.

Chirurgia, ſi quid ad linguæ, partiumque ad loquelam ac vocem facientium pravam conſtitutionem corrigendam, auferendam &c. conferre poteſt, aut v. g. frænum ſub lingua ſolvit, ranulam tollit, aut vulnera aſperæ arteriæ, uvulæ, faucium, linguæ, conſolidat, ſi quid gutturi illapſum eſt, extrahit, & ut omnia dextrè fiant, & adhibeantur *docet*, inſimul apta *inſtrumenta* atque *auxilia* ſuggerit. Si cranium

vel

vel fractum, vel luxatio vertebrarum cervicis adfuerit, suggerit tàm *instrumenta*, quibus cranium, si non apertum, aperiri, frusta extrahi, subsidens & depressum elevari, & sanguis extravasatus, aut purulenta materia evacuari potest. quàm *emplastra*, & alia auxilia, quæ deinde omnia prudentiâ Medici & chirurgi, ægri curam gerentium diriguntur, & applicantur. Linguam etiam quoad *conformationem* ratione *magnitudinis* læsam à peritis Chirurgis ad debitam formam redigi posse, vid. *Eph. Germ. Decur. 2. an. 2. obs. 51.*

Depromit quoq; chirurgia *sanguinis missionem*, quæ non tantùm in Aphoniâ ex plurimis superius recensitis casibus oriundâ, sed etiam anginam, apoplexiam &c. comitante præsentissimum præstat auxilium. Ipse divinus *Hipprocrates* medicinæ stator & formator eam in aphonia tanquam præsentissimum auxilium commendat, dicens *lib. de victu acutorum text. 37. p. 299.* ut aliquis derepente voce privatus fiat, venarum interceptiones faciunr, si sano hoc contingat absque manifesta, aut alia forti causa. Venam igitur secare oportet in brachio dextro internam, & sanguinem detrahere, juxta habitum ac ætatem rationem ineundo, an plus, aut minus oporteat. Quam suam sententiam alibi iisdem ferè verbis confirmat. *Celsus l. 3. c. 23.* observavit, si post sanguinis missionem non redit sermo, nil spei superesse. In talibus ergò ab Hippocrate indigitatis casibus, ac, ubi sanguis abundans in causa est, viresque, ætas, & sexus nihil contrà indicant, venæsectio institui potest, in iis locis quæ judicium practicum medici commodissima autumat, & repetitis potius, quàm unâ vice copia sanguinis emittenda est.

Conveniunt præterea, si indicentur *cucurbitulæ scarificatæ*; *Non scarificatæ* in revellendo egregiè prosunt. *Cauteria actualia* & *potentialia* in nuchâ & vertice adhibita, it. *setaceæ* & *vesicatoria* suo non carent usu. Sicuti nec *fricliones* contemnendæ, factæ panno asperiori, quo collum, dorsum, scapulæ, nucha pro diversis casibus fricantur.

Fonticuli præſervatoriè magis quàm curativè proſunt, egregium tamen uſum habent, ac vel in uno, vel ambobus bracchiis, vel etiam in ſura fieri poſſunt, ad derivandos & revellendos humores, prout exigentia requirit.

Fons *pharmaceuticus* varias ſuppeditat materias medicas, ex quibus pro varietate indicantium variæ medicamentorum formulæ pro cujusque lubitu concinnari poſſunt, tàm *curationis*, quàm *præſervationis* gratia.

Prout ægri & morbi ſtatus permittit, poſſunt initiò præſcribi tàm *humores* evacuandos, quàm *vias*, per quas evacuari debent, præparantia, digeſtiva & laxantia, hinc purgantia ore aſſumenda, modo aſſumi queant, quæ ideò in liquidâ forma cenſentur comodiora & tutiora; ſi verò deglutitio læſa fuerit, & per os nihil aſſumi poſſit, conveniunt *enemata fortiora* & *acriora*, quibus cephalica ſpecifica, ut & aliis omnibus hoc in paſſu admiſcere ſoleo, ut eò citiùs & exoptatius operationes ſuas perficiant, & naturam in eliminando juvent; quemadmodum nec *ſuppoſitoriorum* contemnenda eſt efficacia. Hæc enim gutturi inferiori infuſa & indita materiam peccantem, & ad ſuperiora vergentem felici cum ſucceſſu, teſte *Sennerto*, *Foreſto*, & experientiâ educunt & quaſi retrahunt.

Laudati autores, ut & alii commendant quoque *vomitoria*, tanquam remedia, quibus haut rarò unica vice mali cauſa tolli potuerit. Et ſanè vix ſatis laudari poſſunt, modo cum cautione, quà ſummâ hîc opus eſt, adhibeantur, etiam in aphonia apoplexiam comitante, imprimis ſi *pituitoſus humor* circa præcordia ſtagnet, & mali cauſa ſit. Non enim hoc modo ſolùm cruditates expurgantur, ſanguis & ſpiritus in motum concitantur, & ex ſopore quaſi excitantur, ut expergefacti ad munus ſuum redeant, ſed & calor corpori quaſi ſemimortuo reſtituitur. Inter cætera laudantur ☿ vitæ ad gr. v. vj. cum aq. ſalviæ, aut roſmarini, aut ♁ emeticus ad aliquot grana exhibitus. Sunt, qui crocum

cum metallorum ad gr. iij exhibent, ſed, ſi nullibi, certè hîc ingenioſis cautelis opus eſt.

Diaphoretica ſuo modo locum habere poſſunt, & à quibusdam ſummis viris, ubi opus eſt, in auxilium vocantur, quia radices mali ſæpe nimis infixas evellere ſolent, vid. *Hartmann. Prax. & Sennert. in inſtit.*

Sternutatoria debito tempore, it. *maſticatoria* non omittenda, quia ſpiritus egregiè excitant. Nolo autem in formulis præſcribendis, aut materiis his medicis recenſendis prolixus eſſe, partim quia domum revocor, partim, quia variantibus conditionibus, ſymptomatibus & circumſtantiis, it. ſubjectis, variat ipſa curatio.

Corroborantia, cephalica, & *nervina* ubique tam *internè,* quàm *externè* adhibenda, & admiſcenda, ut ſpiritus reſtituantur, excitentur, augeantur, & conſerventur. *Externe* quoque linguæ, palato, naribus, temporibus, nuchæ, vertici, pulſibus, cordis regioni inungi poſſunt appropriata cephalica & nervina, aquæ, ſpiritus, olea, balſama, eſſentiæ & ſimilia. Rosmarinum, lavendulam, ſalviam, majoranam, lilium convallium, caſtoreum præ aliis commendo, ex quibus aquæ, ſpiritus, eſſentiæ, olea & ſimilia confici poſſunt, & cum fructu applicari.

Atque ſic, ſi æger modò ex præſcripto medici vivat, adſtantes ſuum officium debitè faciant, & in diætâ mediocritas ubique obſervetur, ſpes eſt, auxiliante JESV, qui omnia benè fecit, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituit, & adhuc reſtituere poteſt, ἀφόνους reſtitutos mecum ſonorâ voce dicturos eſſe.

DEO

ſit

LAVS, HONOR & GLORIA

in

ÆTERNVM!